



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XIV. An Scriptores Canonici, sicut etiam Patres, vsi fuerint sacra
Scriptura per accomodationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

ostendimus, proprium esse Scripturæ, vtrumque sensum literalem scilicet, & mysticum continere. Quod si sententia Abulenſis vera eſſet, in eo, quod dixit sensum mysticum non esse ab Spiritu sancto, proprium non eſſet Scripturæ talem sensum continere: eſſet enim solum accommodatio quedam, quæ cuilibet Scripturæ convenire poteſt. Idcirco Abulenſem pro hac ſententia non allegavimus, etiamſi ipſe mysticum sensum concedat: hunc enim non putat eſſe ex intentione Spiritus sancti, ut nos contendimus. Et hæcenus contra primum errorem hæreticorum pugnatum eſt.

Error literalem deſerentium. Sebastianus, Frankius.

Auguſtin.

Erant ſecundo, qui ita ſenſum ſpiritualem ſequuntur, ut literam omnino deſerant, inter quos videtur Sebastianus Frankius in præſatione ſua de Paradoxiſ, dum affirmat, literam gladium eſſe Antichriſti, quo Sancti interficiendi ſunt. His vero non ſunt omnino diſſimiles, qui in allegorijs, & ſenſu mystico eruendo, omiſſa proſus litera, nimium ſtudij poſuerunt, qualem ex Iudaïs fuiſſe Philonem alias ſapientiſſimum teſtatur Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum cap. 39. qui quoniam Chriſtum non habebat, in quem referret, quæ diceret, oſtium non inuenit, & varijs eſt actus erroribus, ut inquit Auguſt.

Tertius error.

Tertio denique peccant qui vtrumque ſcripturæ ſenſum libenter ſuſcipiunt; in literali tamen nec propriam vocum ſignificationem, ubi tropo opus non eſt, iuxta ea, quæ ſuperiori art. dicebamus, nec contextum ſcripturæ attente conſiderant: aut communem, & vulgata editione relictâ ad Græcâ, & Hebræicâ ſe conferunt: vel denique qui in fidei dogmatibus parum inſtructi, ad eum ſenſum ſcripturam detorquent, qui hæreticis fauet: id quod S. Paulum explanantibus non raro evenire ſolet: aut qui ſpiritualem ſenſum ante literalem, aut ſpiritualem ex omnibus locis ſcripturæ cum in multis non reperiatur, ut diſput. 16. dicemus, eructe conantur.

Recte igitur Nazian. oratione 2. in Paſcha, quæ eſt 42. reprehendit eos, qui nullum alium præter literalem ſenſum admittunt: & eos, qui in eadem ſpiritualem nimij ſunt, ſcribens hoc modo. Nos tamen media quadam via inter eos, qui craſtore omnino ingenio ſunt, & eos, qui nimio contemplationis, & anagogiæ ſtudio ducuntur, incedentes, ut nec prius inertes, ac torpidi maneamus, nec ruſus curioſiores ſcimus quam par ſit, atque à propoſito argumento excidamus, & euagemur, (alterum enim Iudaicum quodammodo, & abſectum, alterum ineptum ac ſomniorum coniectore dignum eſt, præterque vtrumque reprehentionem meretur) ad hunc modum de his rebus non nimis abſurde, nec ridicule diſſeremus. Explicat deinde myſteria, quæ in eſu agni paſchalis continebantur. Idem habet Nicetas commentator ipſius in ea verba.

Quæ dicenda ſit hos errores vitiaſſe.

Recta ergo via in eſt, qui hos omnes ſcopulos vitare curabit, & primum literalem ſenſum, atque ubi commodè fieri poſſit, ſpiritualem eliciet, ea tamen moderatione, ut non quemlibet ſpiritualem putet ab Spiritu ſancto intentum fuiſſe: ſed eum, qui vel à ſacro Scriptore, vel cõmuni Patrum ſententia fuerit probatus. Iam ergo ad ſingulos modos tractandi, ſeu explicandi ſcripturam, gradum faciamus. Eſt autem in vniuerſum triplex viſus illius. Primus iuxta ſenſum literalem, quem alij historicum vocant. Secundus iuxta ſenſum mysticum, qui & allegoricus, & ſpirituſ dicitur. Tertius denique per accommodatiõem, & vñ

duos priores inferius elucidandos relinquamus, quod ad noſtrum inſtitutum magis pertineant, de tertio ante omnia quid ſit, & an Scriptores ſacri eo etiam vtantur, qualiterque Theologicis argumentis prodeſſe poſſit, non nihil diſſeramus.

DISPUTATIO XIV.

An Scriptores Canonici, ſicut etiam Patres, vi fuerint ſacra Scriptura per accommodatiõem.

Non ſolum Patres, ſed Scriptores etiam Eccleſiaſt. vñ ſunt Scriptura per accommodatiõem. cap. 1.
Omnia teſtimonia veteris teſtamenti in ſenſu literalis recitari ab Euangelis tis alij affirmant. cap. 2.
Quædam ab Euangelis tis non per accommodatiõem, ſed in ſenſu mystico recitari. verior ſententia eſt. c. 3.
Quædam per accommodatiõem, quæ ad literalem multum accedit, ab Euangelis tis allegari. cap. 4.
Variis ſenſus Scripturæ per accommodatiõem. cap. 5.
Quomodo ſcriptura per accommodatiõem utilis ſit ad arguendum. cap. 6.

CAP. I.

Non ſolum Patres, ſed Scriptores etiam Eccleſiaſtici vñ ſunt Scriptura per accommodatiõem.

Vſus ſcripturæ ſacræ per accommodatiõem nihil aliud eſt, quam verba aliqua ipſius per extenſionem quandam ad eam rem applicare, quam nec ſacer Scriptori intellexit, neque illis verbis ſignificare voluit, non ſolum primariæ & hiftorice, ſed neque ſecundariæ, & mysticæ: id quod ſeq. diſput. ex definitione ſenſus literalis fiet magis manifeſtum. Nunc vero exemplis hæc definitio poterit illuſtrari. Canit Eccleſia de quouis Pontifice, & Conſtatore, Inuentus eſt inſus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Quod tamen de Noe dixit Eccleſiaſticus cap. 4. nullum alium eiſdem verbis intelligens. Laudauit enim eo capite viros glorioſos præteriti ſeculi, inter quos numerauit Noe. Viurpat autem Eccleſia ea verba, quæ de illo dicta ſunt: quia id, quod per illa ſignificauit Scriptura de Noe, in quemlibet Pontificem conſeſſorem quoquo modo conueniunt, eſt enim inuentus inſus ſuæ vitæ ſanctitate, & orans pro populo, Deum placauit. Sæpe etiam in miſſis B. Virginis, aut Sanctorum, ſimili accommodatiõem Scripturæ Eccleſia vitur.

Eccleſ. 44.

Nec ſolum Eccleſia in cantu, & officio ſuo. Sed & ſacri etiam Scriptores interdum alterius antiquioris Scripturæ ſacræ verba per ſolam accommodatiõem referunt. Sic Apocal. 11. de duobus illis viris quos tempore Antichriſti prophetaturos per dies 1260. prædixit Ioannes, inquit: Hi ſunt duo oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes. Quæ verba parum mutata, de Ieſu ſacerdote filio Iofedech, & de Zorobabel duce Iuda antea dixiſſe Zachariam cap. 4. multi, grauesque Doctores exiſtimarunt: duos autem, de quibus Ioannes prædixit, eſſe Enoch, & Eliam, tradiderunt Ambroſius, Gregorius, Proſper, & Ricardus. Et ſane quacumque ratione velimus Zachariæ, & Ioannis ſenſum inueſtigare, dubium non eſt, de diuerſis eadem verba viurpalle, ac proinde accommodatiõem aliquam ibi ſubſeſſe neceſſe eſt. Eadem verba accommodat Eccleſia in quadâ antiphona ad

Apocal. 11.

Ambrosius, Gregorius, Proſper, Ricardus.

ad

ad Sanctos martyres Ioannem, & Paulum. In eundem modum Thob. 2. accepit verba Amos 8. *Dies festi vestri conuerterentur in lamentationem, & luctum*, & liber primus Machabæorum c. 1. ad eadem verba alludit cum inquit: *Dies festi conuersi sunt in luctum*. Hic modus tractandi Scripturam Sanctis Patribus frequens est in concionibus, & homilijs ad populum idemque vtilissimis: verba enim Scripturæ miram quandam gravitatem, & energiam præ se ferunt, ita vt ad persuadendum sint accommodatissima: & quæ hæcenus diximus, sine controuersia sunt. Difficultas tamen non levis est hac nostra ætate inter Scripturæ peritos, an aliqui loci Scripturæ per accommodationem ab Euangelistis recitentur, de qua in sequentibus dicendum est.

*Vnus accom-
modatus
vtilissimus,
& patribus
frequens.*

CAP. II.

Multi quoque per accommodationem ab Euangelistis recitari putat Iansenius.

Iansen. Sicut nonnulli viri grauissimi, qui multa etiam, quæ alias prophetica videbantur, in Euangelio per accommodationem vsurpari assument. Ita Cornelius Iansenius in concordia Evangelica c. 11. censet verba illa, Osee 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum*, ab Euangelista Matthæo cap. 2. recitari, quæ ad litteram ita dicta putat de populo Israelitico, quem filium suum per Oseam Dominus appellauit, vt nec mystico, & secundario sensu de Christo intelligantur. Idem docet de illis verbis Isaia 29. quæ refert Matthæus cap. 15. *Populus hic labijs me honorat, &c.* & de illis Isaia 6. *Auditu audietis, & non intelligetis*: & Psal. 77. *Aperiam in parabolis os meum*, quæ citat Matthæus cap. 13. non alia (inquit) ratione, quam quod optime quadrarent in ea, quæ tunc gerebantur. Primo quidem, quod populus Iudaicus Iohis tantum Christum honoraret, corde vero longe abesset, sicut idem populus tempore Isaia, Deum labijs tantum honorabat. Secundo, quoniam iidem Iudæi aure corporis verba Christi percipiebant, sed mentis intelligentia non ita capiebant, vt illis ad salutem prodesse videtur quod alijs etiam tempore Isaia eodem modo contigit. Tercio, quia Christus Dominus tunc vere loquebatur per similitudines, & parabolas, sicut etiam Asaph auctor illius Psalmi suo tempore: demum illud Ieremias 31. *Vox in Rama audita est*: quod refert Matthæus 2. cap. non alio modo putat Iansenius accipiendum.

*Isaia 29.
Matth. 15.
Isaia 6.
Psal. 77.
Matth. 13.*

*Ierem. 31.
Matth. 2.*

CAPVT. III.

Omnia testimonia veteris testamenti in sensu literalis recitari ab Euangelistis, alij affirmant.

*Probant
Matthæum
per accom-
modationem
non fuisse
vsus testi-
monia pro-
phetica.* Contra vero alij non minus docti, & pii viti sententiam Conclij tam acriter reprehendunt, vt temeritatis nomine censeant, non quod existiment à sacris Scriptoribus aliam scripturam sacram per accommodationem nunquam vsurpari (id enim dici non posse exemplis manifestis probatum manet) sed quia prædictos scripturæ locos ita refert Matthæus, vt tanquam veras prophetias in testimonium eius, quod narrat, asserre videatur. Id quod duabus probant rationibus. Prior est: Matthæus voluit scripturæ testimonijs suam

historiam confirmare, quam à multis præsertim Iudæis legendam, & impugnamam sciebat: frivolum autem esset, Scripturæ testimonia per solam accommodationem in confirmationem proferre, maxime contra Iudæos, Euangelij, & Christi aduersarios. Nam præterquam quod locus per accommodationem nihil probat, sed solum rem ipsam quodammodo illustrat, perinde etiam posset ex quocunque prophano auctore suo instituto, & narrationi verba accommodare.

Posterior ratio: si Euangelista dixisset, optime in eam rem, de qua agebat, quadrare illud Isaia, aut Ieremias, aut psalmi, indicasset profecto per solam accommodationem testimonia illa vsurpasse: at vero cum dicat: *Bene prophetauit de vobis Isaia*: & rursus, *Adimpletur in eis illud Isaia*: & iterum, *Vt adimpletur, quod dictum est: aperiam in parabolis, &c.* demum; *Vt adimpletur, quod dictum est à Domino per Prophetam, Ex Aegypto vocaui filium meum*: cogimur sane sensum propheticum in prædictis testimonijs intelligere. Hæc enim phrasis, & modus loquendi in locutionem accommodatam non recte conuenit. Si enim aliquis volens significare miram alicuius patris in filios sollicitudinem vsurparet illud Virgilianum: *Omnis in Asiano charistat cura parentis*, dicere posset, quadrare in ipsum Virgilianum illud, *Omnis, &c.* At impletum esse in ipso illud Virgilij, non solum in præ, sed etiam falso diceretur: & multo minus dici posset, recte propheta fuisse de illo Virgilium. Modi ergo loquendi Euangelistæ, quos retulimus, aliquod amplius, quam accommodationem, & verborum allusionem indicant.

Quare putant Theologi iam allegati pro secunda sententia non solum testimonia citata non esse per accommodationem accipienda, nec solum in sensu mystico, & spiritali, qui & supponit literalem, & secundarius est: sed etiam prophetice in sensu literali intelligenda. Quia tamen negare non possunt iuxta litteram, & historice ea omnia alijs etiam rebus conuenire, affirmant in vnoquoque illorum duplicem esse sensum litteræ æque proximum. Quocirca illud Osee 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum*, & de populo Israel, de quo sine dubio propheta loquebatur, & de ipso Christo, non per figuram, sed prophetice dictum putant: sicut docuit Abulen. qu. 57. super 2. cap. Matthæi. Eodem pacto duo alia testimonia Isaia de hominibus vtriusque seculi, Isaia nimirum, & Christi, eodem vitio laborantibus, interpretantur. Illud vero psalmi, de auctore psalmi, & de Christo: denique testimonium Ieremias, *Vox in Rama de captiuitate Babylonica*, quam Rachael, hoc est, mulieres illius regionis deplorabant, & de cæde puerorum innocentium historice intelligunt. Idem asserunt de illo 2. Reg. 7. quod citat Paulus ab Hebr. 1. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*, vt de Salomone, & de Christo accipiat. Propterea vero sensum mysticum admittere nolunt, quod ad confirmandam veritatem Euangelij nihil roboris habeat: id quod præsertim locum habet in hoc postremo testimonio, quo Paulus contendit diuinitatem Christi contra Hebræos demonstrare.

*Secunda
ratio.*

4

Virgil.

*Osee.
Sub vna li-
tera dupli-
cem littera-
lem sensum
latens.*

5

Ierem.

2. Reg. 7.

*Sensum my-
sticum in
his locis cur
non admit-
tant.*

C A P.

CAPUT IV.

Quædam ab Evangelistis non per accommodationem, sed in sensu mystico recitari, verior sententia est.

Mihi vero media sententia probatur, quæ prioris licentiam, & posterioris nimiam temperet severitatem; nempe in his locis citatis, nec omnino per accommodationem, nec in sensu literali æque proxime significato cum prior, sed in sensu mystico ab Evangelistis testimonio recitari. Mysticum appello, quia factum, quod narrat Evangelista, rebus illis prioribus figuratum est. Excipio duo illa Isaia testimonio, de quibus seq. c. dicemus. In hanc sententiam idem Iansenius quasi coactus tandem consensit, quod prior illa non admodum probata sibi videretur. Eodem modo Hieronym. in illud cap. 11. Osee, Chrysostom. homil. 8. in Matth. & Glossa ordinaria illius loci, quam mirifice laudat Paulus Burgenis in prima additione illius capitis, Theophyl. Sanct. Thomas, Caietan. & Titelmannus in cap. 2. Matth. Driedo lib. 2. de sacra Scriptura cap. 2. & Adamus in præfatione ad commentaria Isaia, affirmant testimonium illud Osee 11. *Ex Egypto vocavi filium meum*, in sensu mystico à Matthæo recitari. Quocirca & illud Ieremie 23. *quod Hieronym. in eum locum historice intelligit de tempore captivitatis Israël, quo magna strages in Rama facta est, de eade etiam Innocentium in sensu spirituali accipit potest.* Idem docet Hieronym. in c. 13. Matth. de illis verbis Psalm. 77. *Aperiam in parabolis.* etc. Ait enim, in eo Psalmo describi egressum filiorum Israël ex Egypto, in quo abscondita mysteria continebantur, & ideo de Christo parabolice esse intelligendum. Quod si Hieronymo, & alijs hoc genus interpretandi eos locos probatur, non est cur recentioribus Theologis displiceat. Quare audacia forsitan notari posset Olandri in annotationibus in lib. 1. Harmoniæ Evangelicæ cap. 11. qui, cum affirmet omnes veteris Scripturæ interpretes testimonium illud Osee allegorice de Christo intellexisse, ipse censet, in historico sensu esse accipiendum: & dum hac ratione scriptorem sacrum honorifice defendere conatur, aduersariorum calumnijs multo magis eum exponit.

Probatur vero prædicta sententia, quia nullus negare potest illud Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo*: literalis sensu de agno paschali tantum esse intelligendum, de quo ibi tantum sermo erat, non de Christo: & tamen dicit Ioannes 19. cap. impletum fuisse in Christo, *Facta sunt* (inquit) *hæc, ut Scriptura impleteretur, Os non comminuetis ex eo*: ergo sufficit mysticus, & præfiguratus sensus, ut dicatur in eo Scriptura impleri, aut Prophetam illum prædixisse: nam & figura, sicut etiam propheta ipsa veritate, & euentu bene adimpletur. Quare posterior ratio facta contra priorem sententiam, nihil ponderis contra hanc nostram habere potest. Nihil etiam obstat id, quod Theophyl. dicit in cap. 1. Matthæi, videlicet citari ab Evangelista Prophetam prædicentem prædicationem Christi in parabolis: nam & id, quod mystico sermone figuratur, recte dicitur à Propheta prædictum, sicut etiam adimpletum, ut notatum est. Quocirca lapsus est Abulenſis in c. 13. Matth. qu. 28. cum existimat, testimonium citatum Exodi 12. non in

mystico, sed in sensu literali à Ioanne referri: quia putat, nullam Scripturam dicendam esse impleri in sensu mystico, sed solum in literali. Locum vero citatum Exodi 12. recitari à Ioanne in sensu mystico docent Augustinus tract. 120. in Ioan. Chrysost. homil. 84. Theophyl. & Sanctus Thomas in eum locum, Driedo lib. 2. de sacra Scriptura cap. 2. Michael Medina loco inferius citando. Cum igitur locus ille ab Evangelista in sensu mystico reciteretur, & nihilominus Scriptura in sensu figurato dicatur impleta, idem de alijs locis de quibus est controuersia videtur dicendum.

Sed posteriori ratione aduersarij nos magis vrgent: quia argumentum ductum ex sensu mystico parum, aut nihil ponderis habet: ergo non est credendum Scriptores noui testamenti eo vsos, præsertim contra Iudæos in credulos, & procaces, nisi quando mysticus sensus non solum Scripturibus notus est, sed alijs etiam perspicuus esse debet: ut ex doctrina Patrum notabimus, disput. 16. cap. 5. qua ratione Ioannes prædictum testimonium Exod. 12. in sensu mystico recte adduxit, quod manifestum esse deberet Iudæis, agnum paschalem figuram fuisse Christi veri agni, de quo dicit Isaia 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet*, & rursus cap. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* & Ieremias 11. *Ego sum tanquam agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

Ego sane fateor inferri esse argumentum sumptum ex mystico sensu, nisi ille notus esse debeat audientibus, vel ex alijs locis Scripturæ, ut in prædicto testimonio Exodi 12. vel optima ratione comprobetur, ut in illo Deuteronom. 23. *Non alligabis os boni trituranți.* De quo latius dicemus disputatione illa 16. cap. 4. Verum, cum Evangelistæ referant testimonia prædicta, de quibus est controuersia non ad probandum, & conuincendum Iudæos, ut ex contextu patet, sed simpliciter quadam narratione historice, non oportebat, ea solum recitare in sensu literali, aut saltem mystico omnibus peruulgato, sed satis erat, in ipsa historia, quam nemo falsitatis arguere poterat, cum in oculis omnium res illæ gestæ fuissent, simplici etiam demonstratione ostendere, quo pacto in illis rebus apparerent impleta, quæ in veteri testamento figurata, & obscure adumbrata videbantur, id quod veritatem ipsam historie non mediocriter illustrat. Quod si Paulus non in simplici historia narratione, sed ad probandam diuinitatem Christi adduxit illud 2. Reg. 7. & 1. Paralip. 17. & 22. quod de Salomone dictum esse satis constat, non propterea necesse est, ut in sensu literali, sicut posterior sententia contendit, reciteretur: cum enim plura alia firmissima testimonia in sensu literali Paulus reralisset, non mirum, si hoc tantum in sensu mystico allegaret: cum etiam notissimum deberet esse Iudæis Salomonem & regnum eius figuram fuisse Christi venturi. Neque opus est, omnia illius cap. 7. de Christo tantum intelligere, ut vult Augustinus 17. de ciuit. cap. 8. tamen non nulla in solum Christum conueniant. Ex quo deducere deberent Hebræi, Salomonem fuisse figuram veri Messie. Hoc testimonium à Paulo referri in sensu mystico docuit Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide cap. 25. neque oppositum sensit Lyranus in 2. Prologo allegato: nam quauis dicat, hoc testimonium in sensu literali de Christo accipiendum; vocat tamen mysticum secundum quid,

Augustin.
Chrysost.
Theophyl.
S. Thom.
Driedo.
Michael.
Medina.
3.

Isaia.
Ierem.

Sensus mysticus quædam ualens sit.
Deuterom.
Evangelistæ cur testimonia scripturæ in sensu mystico asserant, cum robur non habeant.

Paulus testimonium illud Regiæ mystice de Christo explicat.

Michael.
Medina.
Lyran.

quid, quatenus in Salomone, ut in figura Christus continetur: appellavit vero literalem, quia intentus esset ab Spiritu sancto; quod nos etiam concedimus: sed quo differat literalis ab eo, qui communiter dicitur mysticus, sequenti disceptabimus.

Oseas II. Redeo ad testimonium Oseæ II. & de Christo non ad literam, sed mystice esse intelligendum ex eo probo, quod antecedentia, & sequentia in solum Israeliticum populum conveniant, ut ex illius lectione facile patebit. At respondent aduersarij, consuetum esse Prophetis varia miscere, & valde remota coniungere. Ego tamen non video quidnam in exemplum afferri possit, ubi tam diuersa absque ulla prorsus occasione, & in tam breui sententia coniungantur. Sed obijcit Osiander: fieri non potest, ut populus innumerabilis, vnius hominis sit figura: ergo in sensu allegorico non potest testimonium illud usurpari. Ad hoc frivolum est, primum quia Patres citati pro nostra sententia plene affirmant, hunc populum in eo facto figuram gerisse. Saluatoris nostri: tum etiam sicut in vno homine vnus populus tanquam in figura continebatur Genes. 22. *Dua gentes sunt in vtero tuo, &c.* cur in vno populo vnus Christus significari non poterit? Adde, quod res, quibus aliquid mystice significatur, alterius longe diuersæ rationis esse solent, quam res significatæ: quid ergo mirum, si populus Israel figura fuerit Saluatoris? Qualiter vero populus ille fuerit figura Christi peregrinantis in Ægypto, & inde redeuntis, fufius explicat Rupertus in illum locum Matth.

CAPVT V.

Quadam per accommodationem, quæ ad literalem multum accedit, ab Evangelistis allegari.

Isaia. Vperest, ut de duobus alijs testimonijs Isaia: aliquid dicamus: quæ sane, meo iudicio, in sensu accommodatio accipienda sunt, ita ut à literalis non multum distet, imò ex illo ita mirabili quadam ratione deducatur, ut non parum habeat energię contra Iudeos, quibus hypocritism, & cordis duritiem Christus exprobrabat. Primum ergo illud ex cap. 29. *Populus hic labijs me honorat: facilius eo pacto accipi potest: negari enim non debet eo loco Prophetam cum populo, & hominibus sive ætatis locutum, atque eorum hypocritism, & duritiem verbis prædictis increpasse: hoc vero satis est, ut multo post tempore Evangelista non modo in eorum filios eadem verba usurparet, sed etiam dixerit optime prophetasse de illis Isaia, non quod de illis literalis sensu, aut etiam mystico intellexerit, sed de parentibus eorum, quorum hypocritism, & duritiem veluti hereditaria successione filij accepisse videbantur. Id enim frequenter euenit, ut quadam vitia, quæ sunt veluti natia alieni genti, ex naturali eius temperamento, & inclinatione profecta, in posteros etiam transmittantur. Vitium autem hypocritism, & obdurationis illi populo familiarissimum fuisse, testatur Scriptura prophetarum, & Evangeliorum.*

Ad Titum. In eundem modum Paulus ad Titum I. cum monet ipsum, ut acriter reprehendat Cretenses, quod pessimi homines essent, vitia eorum probat dicto Epimenidis, quem Prophetam appellat: *Sunt enim, inquit, multi inobedientes, &c.* quos oportet

reargui. Confirmat deinde his verbis, *Dixit quidam ex illis proprius eorum Prophetæ, Cretenses semper mendaces, male bestia, ventres pigri* (id est venenosæ bestia, otio dediti, & pigri) *testimonium hoc verum est: quam ob causam incipiam illos docere, ut sint in fide.* Vbi primo obiter, testimonium hoc Epimenidis adduci à Paulo ad conuincenda vitia Cretensium, non quidem eorum, qui fuerunt tempore Epimenidis, sed ipso tempore Pauli: hos enim solum Titus increpare debebat. Secundo cum dicit Paulus, testimonium illud esse verum intelligit relatum etiam ad Cretenses præsentis temporis, de quibus tunc ipse loquebatur: alioquin frustra ipsum allegasset, & verum esse dixisset. Tercio certum est, Epimenidem non dixisse illud spiritu prophetico de Cretensibus futuris tempore Pauli, sed vitia naturæ illius gentis, quam ipse longo experimento cognouerat, illis verbis descripsisse. Et quia, ut proxime dicebam, hæc vitia veluti innata maiori ex parte in posteros deriuantur, testimonium illud Epimenidis, quod ipse de Cretensibus suæ ætatis pronuntiavit, verum etiam est relatum ad posteros; & ea ex parte prophetiam dici potest, imò etiam ipse Epimenides dici potest de illis bene prophetasse: idem enim est, prophetasse, atque prædixisse. Dicitur autem prophetasse Epimenides, non quod de futuris tunc cogitaret, sed quia perinde est, natura vitia alicuius gentis describere, atque mores prædicere posterorum: & hac ratione existimo, nomen Prophetæ Paulum Epimenidi tribuisse, tametsi variæ aliæ rationes huius appellationis soleant assignari, de quibus non est modo dicendum. Hoc pacto testimonium illud magni ponderis est, ut Paulus Tito suadeat, seuerè reprehendere Cretenses: ex eo enim, quod vitia illa eis essent veluti natia, ut descripsit Epimenides, optime colligit apud Cretenses tunc ea vigere, & proinde eos seria reprehensione dignos esse.

Sic ergo Christus dominus Matthæi 15. in Iudeos sui sæculi optime usurpauit verba Isaia 29. *Isaia.* & dixit vere prophetasse de illis Isaia: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Quibus verbis indicat vitium illud in eo populo non solum antiquum, sed etiam quasi natium fuisse, ideoque recte de illis prophetasse Isaia, non quod peculiari recordatione ad futuram generationem animam intenderit, sed quod præsentis populi mores describens, vitia posterorum certa quadam ratione prædixit. Cumque Christus dominus optima ratione conuicisset eo capite hypocritism Iudeorum, quia prætextu religionis, & voti, debitum honorem parentum ex auaritia impediabant, statim in ipsos efficaciter vertit verba Isaia, quibus idem genus peccati in eorum parentibus ille notauerat. Vnde ergo fuit Christus eo testimonio per accommodationem, eo tamen modo, ut parum, aut nihil recedat à sensu literalis, cum optima, & naturali ratione ex eo deducatur id, quod ipse contendebat. Ita intelligi debet Chrysostomus in hunc locum Matth. homil. 52. cum inquit: *Video à priscis temporibus malignitatem ipsorum esse prædictam, quod enim Christus criminabatur, id Isaia multo ante prædixit.*

Est alius locus Isaia 6. c. quem refert Matthæus 13. in hunc modum: *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligent.* & adimpletur in eis propheta Isaia dicens: *auditu audie-*

12.

*Epimenides
quo sensu
Propheta
dicitur à
Paulo.*

13.

*Isaia.
Energia ex
propheta
nā Christi.*

14.

*Alius Isaia.
locus per ac-
commoda-
tionem ad-
dicitur à
Christo.*

anctis, & non intelligitis, & videntes videbitis, & non videbitis, inaccessatum est enim cor populi huius. Quem locum ex limbo eodem modo recitari ab Euangelista. Constat enim fuisse commune, & natium vitium obdurationis populo Israel, quod multo antea testatus fuerat Dominus Exodi 22. 33. & alibi his verbis: Populus iste dura cervix est. Quare mirum non est, si hoc idem vitium in Iudæos, quibus Christus loquebatur, quasi naturaliter esset transfusum, sicut de peccato hypocritis dicebamus, ut ita in illis recte diceretur impleri prophetia Isaiæ in ehm sensum, quo superius testimoniū explicauimus. Propheta enim vitium hoc Iudæis sui temporis ita tribuebat, ut commune esse populo diceret, ac proinde quasi natium; quare quodammodo etiam prophetauit, quod Christo prædicanti illorum postitis, euentum erat.

Huius vitij quasi hæreditaria transfusio in eo populo 4. Reg. cap. 17. pulchre describitur: Et testificatus est Dominus in Israel, & in Iuda per manū omnium prophetarum, & videntium dicens: reuerimini à vjs vestris pessimis, &c. qui non audierunt, sed indurauerunt cervicem suam iuxta cervicem patrum suorum. qui noluerunt obedire Domino Deo suo, & Stephanus in Actis Apostol. cap. 7. inquit: Dura cervix, & incircumcisi cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resististis; sicut patres vestri & vos; & Dominus Luc. 11. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi occiderunt eos, scilicet Prophetas, vos autem occidere vultis dominum prophetarum, de quibus Matthæus 23. cap. dixit: Verumamen implere mentem patrum vestrorum, de quo testimonio plura l. 3. de Adoratione disput. 1. c. 5.

CAP. VI.

Variis vsus Scripturæ per accommodationem.

15. **O**bservandum tamen est hoc genere tractandi Scripturam per accommodationem non solum posse usurari verba, & sententias, sed etiam asserti exempla, & historias ad suadendam virtutem, & vitia detestanda. Quomodo autem verbo- rum accommodatio fiat, ex dictis perspicuum est: historiæ vero tunc per accommodationem afferuntur, quando ita solâ ad exemplum deseruiunt, ut in illis rebus gestis ex intentione Spiritus sancti non sit mystica aliqua significatio, de qua disp. 15. dicemus, & hæc est vna differentia inter historiâ, quæ sensum mysticum continet, & eam, quæ per accommodationem in exemplum affertur: altera est, quod mysticus sensus semper continetur in historia diuersæ rationis, exemplum vero ex rebus eiusdem naturæ solet interdum per accommoda- tionem adduci.

De hoc genere accommodationis intelligitur illud ad Rom. 15. Quæcumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus. Ut enim Paulus persuaderet Romanis, vniquemque placere proximo suo in bonum, adduxit exemplum Christi, Qui non sibi placuit, &c. Et statim subiungit verba, quæ retulimus. Christi autem exemplum solum letuit per accommodationem: nobis namque, ut inquit Petrus 1. Epist. cap. 2. reliquit exemplum, ut sequamur vestigia illius; & tamen in Christo, ut in figura non continebatur id, quod Paulus suade- dere curabat, tanquam mysticus sensus. Eodem modo intelligitur illud 1. ad Corinth. 10. Omnia in 1. ad Cor. 10. signa contingebant illis, scilicet Iudæis: quoniam enim

ibidem refert Apostolus, Iudæos in Moyse baptizatos esse in nube, & in mari, & omnes eandem etiam spirituales manducasse, & eundem potum spirituales bibisse de petra, quæ erat Christus, in quibus mysticum sensum baptismi, & Eucharistiæ non possumus non intelligere: id tamen, quod inferius subdit, Omnia in figura contingebant illis, non ad hos mysticos sensus, sed ad illud, quod proxime præcellerat, refertur, videlicet, Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto: continuo namque subiungit. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, neque idololatra efficiamini. Sicut quidam ex ipsis. Plura etiam alia recenset supplicia, quibus enumeratis repetit illa verba: Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram. Paulus igitur eo loco non intelligit per figuram, eam, quæ continet mysticum sensum, sed exemplum, quod per accommodationem plurimum valet ad suadendum, ideo dixit, Ad corruptionem nostram.

CAP. VII.

Quomodo Scriptura per accommodationem vtilis sit ad arguendam.

EX dictis licet colligere id, quod ad nostrum pertinet institutum; nimirum hunc locum per accommodationem nullius esse momenti ad veritates, & dogmata nostræ fidei comprobanda: quia sub ea litera nec primarie, nec secundarie, ex mente Spiritus sancti sensus ille continetur: Hoc vero dixerim, quando accommodantur verba, & sententiæ solum: historiarum enim accommoda- tiones, ex quibus ducitur argumentum, quod ab exemplo aut à simili vocatur, præterquam quod plurimum valent ad persuadendum amorem vir- tutis, & odium peccati, in morali quoque materia efficaciter conducunt ad demonstrandum, quid- nam liceat, vel prohibitum sit. Hoc genere argu- menti vtilis est Christus Lucæ 6. ubi exemplo Danidis, qui ob instantem necessitatem panes propo- sitionis comedit, excusauit factum suorum discipulorum, & à malitia Phariseorum defendit: deducens inde verum intellectum præcepti de obseruatione Sabbathi. Hoc eodem modo in 2. l. de Adorat. imag. disp. 5. c. 2. probauimus, cultum, & honorem rerum inanimatarum sanctum esse, eo quod ex præcepto Domini arca testamenti in veneratione, & honore semper fuerit. Contra ve- ro ea, quæ adducunt hæretici ab exemplo, ad pro- bandum non licere cultum, & adorationem Sæctorum, quæ primo aspectu aliquid probare videntur, à nobis sufficienter explicata sunt lib. 1. d. 5. cap. 3. & sic in omnibus alijs materijs, de hoc modo Scripturæ per accommodationem, sentien- dum est.

DISPUTATIO XV.

Quid sit sensus literalis.

Sententia Lyrani. cap. 1.
Opinio Abulensis. c. 2.
Verior sententia de sensu literalis. cap. 3.
De sensu literalis parabolarum. c. 4.
Corollaria præcedentis doctrinæ. c. 5.
Regula ad eruendum sensum literalem. c. 6.

F. CAP.

Accommo-
date expli-
catue Pau-
lus.

Sensus ac-
commoda-
tius, nec
primarie
nec secun-
dario est ex
mente spi-
ritus sancti.

17.
Historiarum
accommoda-
tiones
quantum
valent.

Luc. 6.

Historia
quando per
accommoda-
tionem as-
seratur.
Distinguitur
inter mysti-
cum sensum
& accommoda-
tionem.

16.
1. Petri 2.
Ex. 19. 10.
Christi per
actum mo-
dationem
solum rebus
describitur.